



MANVEL, siue Emanuel, Caloioannis, vt quidam putāt, filius, vt alij volunt, frater, post eum Constantinopoli imperat, anno mūdi 5103. à Christo nato 1141. Ab hoc Conradus Germanus Ro. Imperator, sollicitatus est vt opem ei ferret, siue aduersus Rogerium, vtriusque inuasorem imperij, siue vt in Turcas Conradus ipse moueret: sed mutatus Manuel, fame laborantibus Conradi militibus, gypsum cōtustum farinae immiscet: nec fat illi fuit semel id sceleris perpetrasse: simili fraude Ludouicum Francorum Regem, impius ille, decipit: sic breui magna militum nostrorum vis consumpta est: inde Manuelis nomen Francis odiosum. Rogerius Siciliae Rex, omnem Graciae oram vastauit: Byzātium etiam per suos duces adeò oppressit, vt sagittas argenteas, aureasq; hortis regis immiserit. Contra ius gentium Manuel legatum violat Venetūm: negotiatores, quos simulata pace euocarat, vno die comprehendit. quare armis pressus Venetis, æquis pensionibus pacem impetrat. Prælium cum Turcis gessit funestissimum, in quo penè captus est. Imperauit annos 38. quibus exactis, monasticam secutus vitam, morbo periit. Vide Blon. lib. 5. deca. 2. Egna. lib. 2. Cos. Mun. lib. 4.

ALEXIVS, Manuelis filius, puer adhuc, patri successit: Andronico Comneno à patre commissus fuit, qui primò tutorem egit, dein imperij consortem, demum Alexium cognatum quindecim annos natum, cum treis à patris morte annos rerum esset potitus, clam miserè necat, capitēque truncato, reliquum cadauer sacco inclusum in mare prouicit. Vide vt supra.